



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Manfredi Siculi epistolæ duæ de morte Frederici II. Imp. ad Conradum IV.
Regem Romanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

radum antedicti Domini Imperatoris filium , regni Hierosolymitani legitimum successorem , eligentes ipsum ibidem in Romanorum Regem & in futurum Imperatorem nostrum post obitum patris habendum , ac etiam debita eidem fide data præstantes ad illud obtinendum imperii diadema , & sibi , prout de jure tenemur , consilium & auxilium impendemus. Et licet Henricum primogenitum suum pri-
dem nobis in Regem simili provisione duxerimus eligendum , quia tamen cum in honore esset non intellexit , sed ab aquilone sedem sibi constituens contra patrem , loco tanti regiminis se monstravit indignum , justo patris judicio & ejus ultronea voluntate , quam sibi conscientia propriæ transgressionis ingressit , ab eodem Henrico soluti præstito jura-
mento quod de electione sua similiter feceramus , Henrico Corradum , velut David Sauli , sancta de-
liberatione providimus subrogandum.

MANFREDI SICVLI EPISTOLÆ

duæ de morte Frederici II. Imperato-
ris ad Conradum IV. Regem Roma-
norum.

*Regi Conrado Manfredus per Nicolatum de
Rocca , de morte Frederici Imperatoris.*

TURBINIS calicem , quem nuper de patris Ann. 1150.
& domini nostri casu non mindi mentis quam
oculorum infusione transumpsumus , vellemus li-
benter à poculis vestris excipere , velut qui men-
sam vestram gratis concupimus dulcorare delicijs ,
& præcordia vestra placidis anxiamur gratificare
pulmentis. Sed ut dolor quem exinde gustare vos

novimus nuntiantis sit contemplatione remissior, licet forsitan id famæ velocitas, quæ pennas consuevit in adversis assumere, magnitudini vestræ prædixerit, nuntiantes tamen alios elegimus prævenire, ut eò sit casui medela proclivior quò nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducetur. Scimus etenim quòd si patris virtutes attenditis, si ejus quem multipliciter natura dotaverat complementa pensatis, nedum vos, qui caro de carne ipsius & os de ossibus descendistis, lugere cogimini, sed & oculi omnium universaliter ad lacrymas convitantur. Cecidit quidem sol mundi, qui lucebat in gentibus, cecidit sol justitiæ, cecidit auctor pacis. Credimus tamen quòd si circumstantias ejus consultè revolutis, consolationis vicinæ remedia sentietis. Vixit enim Dominus pater noster feliciter & victoriosè, dum vixit; & divinæ majestatis auctoritas, quæ processibus ejus viventis astiterat, * morientibus finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis indicijs, præter dona mirifica & beneficia gloriofa quæ in testamenti serie fidelibus gratanter indulxit, sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxæ zelator, humiliter recognovit, & damna quæ dudum Ecclesiis invitus forsitan vel potius provocatus intulerat, integrè restauranda sancivit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beavit in exitu, quòd liberis fœcundatas adultis, sed persona vestra præcipue Domine, in cuius humeris honorem & onus regiminis glorificatus appendit, ad patriam, quò iter est omnibus, feliciter utinam vieturus, accessit. Ex quo pulchra spes vel plenaria certitudo & certa fiducia datur in gentibus, ut licet occasum sol ille petierit, per cuiusdam tamen continuationis ordinem relucescat in vobis, & licet fructificus cultor ille justitiæ, magnificus auctor pacis, operas & culturas suas mo-

* morientis

Vide Odor.
Raynald. ad
ann. 1250.
§. 33.

derantis omnia mortis severitate suspenderit , pacem tamen & justitiam semper excolat & operetur in vobis ; & sic pater abesse non creditur dum vivere speratur in filio , nec creditur tam pretiosa hereditas amisisse patronum dum ejus confidit invenire dominium tam suave tam placidum in herede. immo si salva patris reverentia loquimur , satis consueto salubrius fideles vestri , scilicet regnicolæ , potissimum sperant sub umbra vestri dominij proregi & sub vestro regimine confoveri , ex eo sumentes efficax argumentum , ut qui nostis paternos mores naturæ generositate portendere , regnantis officium , quod ætas in vobis & natura consolidat vel confibular , gerere velitis in subditis & sciatis. Vos igitur , gloriissime Domine , cuius adventum universorum mentes expectant & vota suspirant , sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis ut spes quæ consuevit animam plus debito dilata conterere , ipsos in tam votiva præstolatione reficiat , & status pacificus regni vestri , quod majestatis vestræ præsidium affectuosè desiderat , ex tam grati Regis præsentia revirescat vel reviviscat.

ALTERA.

Gloriosissimo Domino suo Conrado Regi Manfredus pedum oscula & grata devotionis obsequia. De obitu felicis memorie Domini patris nostri , quem præmissæ pridem vestræ serenitatis auditibus litteræ nostræ prætulerant , ex eo præcipuæ consolationis informatæ remedia cum quadam animi gratificatione porrigitur quod totum regnum Siciliæ vobis humiliter parere desiderans , sub vestrīs iussionibus vivere promptissima devotione disponunt , ita quod nobiles omnes & terræ ac civitates famosæ præcipue in vobis & he-

redibus vestris fidelitatis & homagij juramenta tam
quam eorum domino libentibus animis præstite-
runt, & nobis pro parte vestra unanimiter obedient
& intendunt. Vos igitur, felicissime Domine, ad
subditorum vestrorum statum pacificum observan-
dum, nobilibus & civitatibus regni vestri, quos in-
terclusa præsentibus cedula continet, speciales lit-
teras vestras dirigi jubeatis, per quas significetis
eisdem quod ex insinuatione nostra ipsorum fide &
devotione plenius intellecta, parati estis observa-
re tenaciter quæ pater vester in testamento suo con-
stituit observanda, & gratiam ac benivolentiam
vestram ad eos favorabiliter extendetis, & quic-
quid in vestri absentia contigerit nos gerere vice
vestra, rata & firma tenebitis & servari inviolabi-
liter facietis. Nihilominus civitatibus & nobilibus
regni Hierosolymitani litteras vestras exhortato-
rias destinari mandetis, ut eos qui nunc umbram
vestri dominij subire desiderant & vestrjs jussionibus
obsecundare ad vestra servitia, pulchra spes animet,
& benivolentia futuræ præsagium libenter indu-
cat. Præter hæc tamen ad memoriam vestram redu-
cimus ut si negotiorum & temporis qualitas vel ha-
bilitas suggereret quod de adventu vestro, qui ab
omnibus tam libenter quam hilariter expectatur,
regnicolarum vestrorum fidelium animos recepare
possitis, quod exinde honori vestro magis expediat,
regalis provideat celsitudo. Nobis veruntamen,
qui prosperum adventum vestrum inter viventes
alios desideranter appetimus, mandare dignemini
quid per nos fieri serenitas vestra velit, ut vestræ
magnitudinis cognita voluntate, super omnibus
juxta vestrum beneplacitum procedamus.